

TEMPERAMENTUM
SEVERITATIS
ET CLEMENTIÆ,

DISSERTATIONE POLITICA
expressum,

&

PRÆSIDE

CHRISTIANO Röhrenseen/
Phil. Pract. Prof. Publ. & Elect. Alumn.

Ephoro,

RESPONDENTE

PETRO à KOSCHKULL,

Nobili Curono,

publicæ ventilationi propositum,

Ad D. XXIII. April. cl. loc. II C.

In Auditorio Majori,

hor. matut.

VVITTENBERGÆ,

Typis CHRISTIANI SCHRÖDTERI, ACAD. TYP.

coll. diss. A
3, 34

SP
a. XCVIII. 34.

TEMPERAMENTUM
SERVARIIS
ET CEMENTIS
DISECTATIONE PONTICA

experimentum

CHRISTIANO
PAPAGEOTOR & BUCHHOLDT

Sachs.
Landes-
Bibl.

FRITZ & KOSCHKE

1771



Btsi regere & regi humanæ naturæ sit convenientissimum, & gubernationis civilis diversæ dentur rationes & modi, unaqvælibet tamen earum suis incommodis & periculis premitur.

Agnovisse hoc jam suo tempore Romulus, Romanæ conditor Reipubl. videtur, qui in oratione de Romana Reipubl. ordinanda, *nullam, ait, Reipubl. formam ab omni parte sinceram esse, quod cuique aliquid insit mali, fato quodam adgnatum.* DION. HALICARN. 2. *Antiqu. Rom.* Enimvero, si una eademque apud omnes homines esset vitæ ratio, eadem animorum inclinationes, eadem studia, omnes facile una regiminis forma acquiescerent; nunc cum hic cuncta apud diversos inveniantur diversa, facile hinc colligere licet, quod non unaqvæque Reipubl. forma cuicunque populo sit accommodata. Sunt gentes, quæ nullum servitutis nomen, aut suspicionem ferunt, quæ melius à pluribus, & suis reguntur. Sunt, quibus ignota libertas est, quæque illius sunt impatientes; quales expedit regi ab uno, adstricta imperandi ratione. Quædam nec totam libertatem, nec totam servitutum ferre possunt, quibus & ipsis non male princeps præest, cujus tamen potestatem pacta coërce-

ant. Est & ubi uni eidemque populo diversis temporibus diversa placeat Reipubl. forma. Adeo nulla respublica simpliciter est optima, verum unicuique genti illa censetur convenientissima, quæ eandem felicem efficit, quemadmodum vice versa illa jure damnatur, quæ populo infortunii causa est. Vid. DIONYS. l. c.

II. Quod antiquissimis seculis præ reliquis placuerit regia imperandi forma, de eo nos dubitare non sinit historiarum fides. *Principio rerum, gentium, nationumque imperium penes reges erat, inquit TROGI Epitomator, JUSTINUS, 1, 1. Et CICE-RO, 3. de Leg. 2. Omnes antiquæ gentes regibus quondam paruerunt. Clarius adhuc ISOCRATES, in Panathen. Priusquam & Democratia, & Oligarchia nomen notum erat, barbaricæ gentes, & omnes Græciæ civitates regibus parebant. POLYBIUS, 6. Hist. 3. hoc penitus ex natura derivare instituit: Sicut, inquit, in aliis fit animalibus, etiam in hominibus usu venit, quando coadunantur. Tum, inquam, necesse est, ut qui robore corporis, & presentia animi atque audacia præstat cæteris, ducatum atque imperium in cæteros obtineat: quod ipsum in aliis quoque animalibus, quæ non opinionibus adventitiis, sed unius nature instinctu ducuntur, quum cernimus usu venire, nature id opus esse certissimum debemus credere. Nam & in illis ducum officio sine con-*

ne con-

ne controversia robustissimos quosque fungi videmus: puta tauros, apros, gallos gallinaceos, & id genus alia animalia. Ac principio quidem hujusmodi fuisse & hominum vitam probabile est; dum communi animantium more in unum gregem coeunt, & fortissimos ac valentissimos sequuntur. Hi robore metiuntur imperium; quod jure appelles unius dominationem. Postea vero quam procedente tempore inter hos coetus communis educatio, & vitæ consuetudo consecuta fuerit, ab eo principio regnum existit. Quæ quidem suo loco relinquimus, patere tamen inde arbitramur, constanter ab antiquis creditum fuisse, imperium unius reliquas gubernandi formas præcessisse: quod inde PLATO *ceterarum Rerum publ. matrem*, ARISTOTELES vero, *4. Pol. 2. primum atque divinum* appellat, quia videlicet ortu primum, & ab imperio paterno sine dubio traxit originem.

III. Primos vero illos sive reges, sive principes non vel generis dignitas, vel ambitio popularis, sed spectata inter bonos virtus ad id fastigii provehebat. Sic enim SENECA, *Epist. 90. Primi mortali-um, quique ex his geniti naturam incorrupti sequebantur, eandem habebant & ducem, & legem, commissi melioris arbitrio. Natura enim est, potioribus deteriora submittere. Multis quidem gregibus aut maxima corpora præsent, aut vehementissima. Non*

præcedit armenta taurus degener, sed qui magnitudine actoris ceteros mares vicit. Elephantorum gregem excellentissimus ducit. Inter homines pro summo est optimus. Animo itaq; rector eligebatur. Ideoq; summa felicitas erat gentium, in quibus non poterat potentior esse, nisi melior. Et paullo post: Penes sapientes aureo seculo fuisse regnum, Posidonius judicat. Hi continebant manus, & inferiores à validioribus tuebantur. Svadebant, dissvadebantq;, & utilia atq; inutilia monstrabant. Horum prudentia, ne quid deesset, satis providebat. Fortitudo arcebat pericula; beneficentia augebat, ornabatq; subjectos. Officium erat imperare, non regnum. Nemo quantum posset adversus eos experiebatur, per quos cœperat posse. Nec erat cuiquam aut animus in injuriam, aut caussa; cum bene imperanti bene pareretur, nihilq; rex majus minari male parentibus posset, quam ut abiret è regno. Regias inter virtutes maxime respiciebatur justitia, quippe quæ plerasque reliquas comprehendit, atque inter eas lucet,
velut inter ignes

Luna minores.

Mibi quidem, M. TULLIUS ait, 2. Offic. non apud Medos solum, ut ait Herodotus, sed apud etiam majores nostros fruendæ justitiæ caussa videntur olim bene morati reges constituti. --- Eademq; consti-
tuen-

tuendarum legum fuit causa, quæ regum. Jus enim semper quæsitum est æquabile. Neque enim aliter esset jus. Id si ab uno justo & bono viro consequerentur, eo erant contenti: cum id minus contingeret, leges sunt inventæ, quæ cum omnibus semper una, atque eadem voce loquerentur. Ergo hoc quidem perspicuum est, eos ad imperandum deligi solitos, quorum de justitia magna esset opinio multitudinis.

IV. Magnam cum justitia ad finitatem habet ab una parte *Severitas*, ab altera *Clementia*. Quarum prior rigorem servat legum, metuque poenarum publicam asserit disciplinam, & maximam peccandi illecebram, impunitatem, exequendo id, quod legibus statutum est, tollit: posterior populo aliquid indulget, & ubi justæ sunt irascendi puniendique causæ, ad lenitatem magis inclinat, poenasque si non aufert, mitigat tamen & moderatur. Circa utramque ut inoffenso pede versetur Princeps, nec in publica peccet commoda, *temperamento* quodam opus est, in quo repræsentando præsens nostra occupabitur opera.

V. Severitas modo ad *vultum* refertur, & *mores exteriores*, ac de eo dicitur, qui austeris & paullo tristioribus moribus est, atque adeo gravitatem excedit, qualis Tiberius describitur, qui incedebat *cervice rigida & obstipa, adducto fere vultu, plerumque tacitus, nullo, aut rarissimo etiam cum proximis*

mis

mis sermone. SVETONIUS, *in vit. ej. c. 68.* Nec non Imp. Maximianus, de quo EUTROPIUS, 9, 16. *Herculius pro palam ferus & incivilis ingenii, asperitatem suam etiam vultus horrore significans.* Et M. Crassus, quem *semel in vita risisse* Lucilius affirmat, & Tullius. AMMIAN. MARCELL. l. 26. *modo ad mores maxime interiores quoad iram & vindictam, ac de illo dicitur, qui nihil cuiquam temere indulget, nihil connivet, ac neque parva negligit, sed ad rigorem legum omnia accurate exigit.* Sic Aurelio Alexandro Imp. *Severi* cognomen hæsit, *ob mirandam, singularemque constantiam contra militum insolentiam.* Nam in milites gravissime animadvertit, qui forte incurrerunt aliquid, quod videretur injustum. ÆL. LAMPRID. *in vit. ejus, c. 12. & 25.* Et in hoc sensu parum ab ita rigore juris, quem ἀνεύθετος Græci appellant. Præcavet enim hæc virtus, ne conniventia, vel impunitate vitia injuriæque alantur, verum debita vindicta excipiantur. Hinc imperiti esse SENECA, 2. de Clement. 3. dicit, *hanc contrariam putare clementiam, (cui rectius crudelitatem opponit,)* cum nulla virtus virtuti contraria sit. HEIDERUS *part. 2. Phil. mor. p. 688.* ita eandem describit: *Severitas est, quæ, quibus, propter quæ, quæ ratione, & quamdiu par est, irascitur, injurias repellit, & si opus, pœnas exigit.*

VI. Ne-

VI. Necessitatem Severitatis multa demonstrant.
Est enim justitiæ soboles, quæ de medio sublata, ec-
quis probitati, modestiæ, innocentia relicta erit
locus? Nemo, quid suum, quid alienum, satis ex-
ploratum habebit; quin potius omnia sceleribus &
libidine polluentur, ac id æquius statuatur, quod
validius. *Qui sceleratis parcunt, bonos perditum
eunt.* SALLUSTIUS, B. J. 31. *Bonorum salutem
custodit, qui malos punit: ipse autem est nocens, qui
nocenti parcit, ut pluribus noceat.* LACTANTIUS,
17. de ira DEI. Cedro digna illa P. MIMI:

*Invitat culpam, qui peccatum præterit:
Parcit malis, qui vicinque perdere vult bonos,
Bonis nocet, qui visque pepercerit malis.
Felix improbitas optimorum calamitas.
Veterem ferendo injuriam invitas novam,
Judex damnatur, cum reus absolvitur,
Amici vitia si feres, facis tua.*

Neque vero vulgi ingenium satis nosse existima-
tur, qui in curandis vitiis lenitate potius, quam se-
veritate utitur. Magna profecto peccandi illecebra
spes impunitatis. *Vulgus non pudori obsequitur,
sed metui; nec abstinet à pravis ob turpitudinem,
sed ob supplicia & pœnam.* ARISTOTELES, 10.
Ethic. ult. Atque inde non inepte se defendebat,
Cotys, Thraciæ rex, qui increpanti severitatem e-
jus, & dicenti: *furor hic est, non regnum: At me-*

B

us,

us, reponebat, furor subditos sanos reddit. STOBÆUS, de Regn. Summa quoque Cerbulonis severitas usu salubris, & misericordia melior apparuit, quod pauciores illa castra desererent, quam ea, in quibus ignoscebatur. TACITUS, 13. Ann. 35. Scilicet milites, quos disciplina rigor non coercet, & amicis graves sunt, & plerumque contra hostem viles & inepti. ZEVECOTIUS, observ. Pol. ad Svet. J. Cæs. c. 65.

VII. Sed seposita tantisper severitate Clementiæ quoque naturam introspeciamus. Clementiæ vox & ipsa bifariam capitur: uno modo generaliter, notans benevolum affectum superioris erga inferiores, curæ suæ commissos, per quem facile ad misericordiam movetur, quando res & persona commiseratione digna est, & in Principe extendit se ad omnia illa, quæ ipse salva majestate sua & salute imperii sui subditis concedere potest: altero modo specialiter, pro moderatione rigoris summi juris, pro certis quibusdam circumstantiis tum legum, tum & eorum, qui peccaverunt; quæ acceptio a nobis attenditur. Quod igitur inter æquales præstat Lenitas atque Facilitas, illud in superioribus ac principibus viris vocatur Clementia, quamvis discrimen illud non semper observent boni scriptores. Revocatur autem communiter, ut species, ad Mansuetudinem; quippe quæ vel est *paris erga parem,*

parem, aut etiam inferioris erga superiorem, & nomen commune retinet; vel est superioris erga inferiorem, ac sibi obnoxium, & speciali nomine Clementia appellatur. Descriptiones ejus apud diversos auctores extant diversæ. SENECA, 2. de Clement. 3. plures apponere tutius putat, ne una definitio parum rem comprehendat. Prima ejus est; Clementia est temperantia animi in potestate ulciscendi. Altera: est lenitas superioris adversus inferiorem in constituendis pœnis. Tertia: est inclinatio animi ad lenitatem in pœna exigenda. J. LIPIUS, 2. Polit. 12. eandem finit per virtutem animi à pœna ad lenitatem cum judicio inclinantis. H. ERNSTIUS, Introd. ad Ver. vit. cap. 20, 42. per virtutem, seu probitatem remittentem pœnam legi debitam, CL. PLACCIUS, in Hygiein. moral. c. 4. §. 17. per rectoriam benignitatem, sive justitiam, æquitatis potissimum intuitu consideratam, circa punitionem. CHRYSOST. JAVELLUS, T. 2. Opp. p. 2. Tr. 7. p. 476. per virtutem moderativam pœnæ & vindictæ. Quæ definitiones in re maximam partem conveniunt, licet verbis discrepent, & illud præterea manifestum faciunt, Clementiam in multis cum mansuetudine, in quibusdam etiam cum justitia convenire. Ac id quidem cum priori habet commune, quod iræ moderetur & ulciscendi affectui; cum posteriori vero, dum circa pœnam &

vindictam occupatur. Punire enim, pœnamque moderari sine dubio iustitiæ actus est. Hinc bene JAVELLUS, *l.c. Clementia proprie non cuilibet, sed existenti in auctoritate convenit: nam cum sit moderativa justæ pœnæ & vindictæ, illius tantum est moderari pœnam, cujus est punire: sed ad solum superiorem spectat juste punire, quoniam est iustitiæ minister: ergo superiori tantum tribuitur clementia.*

VIII. Subjectum Clementiæ, velut ex jam dictis constat, est *superior*, qui regendi alios jus & potestatem habet & exercet. Qualis est in universo DEUS, in Republica suprema potestas, & qui eidem subordinatus est, magistratus; in bello imperator, cum suis præfectis militaribus, in domo paterfamilias, qui partim regit ingenuos, uti sunt uxor, & liberi, quorum respectu vel maritus, vel pater salutatur; partim servos, quorum intuitu herus, vel dominus salutatur. Patris vices in regimine gerunt tutores, propinqui, in schola præceptores. Qui omnes vel puniendi, vel castigandi jus & potestatem habent, modo majorem, modo minorem, pro regiminis, quod gerunt, indole. Probe autem attendenda observatio CIRELLI, *Etb. Aristot. p. 2. c. 15. p. 108. Quo majus est cujusq; imperium, & gravius puniendi potestas, tanto magis Clementiæ nomen ejus mansuetudini tribuitur. Unde quia præceptorum ac tutorum potestas maxime est limitata, & vica-*
ria

ria tantum paterna, mansuetudo illorum vel in
pupillos, vel in discipulos Clementia dici vix debet.
Maxime autem DEI mansuetudini competit, cuius
potestas est maxima & summa: tum summo in qua-
libet Republica magistratui, tum inferioribus, & sic
deinceps.

IX. Personæ, circa quas tum Clementia, tum Se-
veritas exercenda, sunt inferiores, & in parendi
conditione positæ, sive jam natura, aut pactum, si-
ve iniquior fors easdem superioris potestati sub-
jecerit: nam & in hostes Clementiæ ac Severitati
locus est. *Par in parem*, inquit GILBERTUS BUR-
NATHUS, 5. *Ethic. c. 16. non potest exercere clemen-
tiam, quia par pari non subjicitur. Potest quidem
socius socio irasci, sed nihil juris unus habet in a-
lium. Non igitur hic locum habet Clementia, quia
vana est sine viribus ira. At Clementia est virtus
moderans pœnam, quam inferiori superior irroga-
re potest: ideoque politica, regiaque virtus. Et qui-
busdam interjectis: Si latro, si hostis (potius ini-
micus, qui scilicet privatam exercet vindictam;
cum hostis quod facit, id publica auctoritate fa-
ciat, certe facere debeat) ab alius nece abstinet,
hæc abstinentia non proprie Clementia, sed huma-
nitas dicitur; quia, licet contingat alicui alium oc-
cidere, non tamen sequitur, hoc posse jure superiori-
tatis, vel legitime. Imo non occidendo eum huma-*

nitatem, non Clementiam exercere dicitur. Sic Principes respectu alterius Principis, aut alienorum subditorum considerati, privatorum quodammodo personam induunt, & clementiam non exercent proprie, nisi forte magnum sit inter eos & alios, qui offendere visi sunt, dignitatis discrimen. CIRELLUS, l. c. p. 109. Præterea, cum Clementiæ sit, moderari pœnam, vel remittere, non nisi ad noxios referenda est. Innocens, quia mali nihil meruit, pœnam non timet, nec Clementiam expectat. Recte SENECA, 1. de Clement. 2. Clementia, nisi post crimen, supervacua est, & sola hæc virtus inter innocentes cessat. Nisi tamen ampliare velis vocabulum, & Clementiam vocare gratiam Principum, misericordiam, & beneficam voluntatem, quæ omnes complecti amant, & eos præcipue, qui præter culpam suam miseri sunt; aut etiam inclinationem superiorum ab inferioribus abstinendi injuriam, quod tamen eorum officio inest. Sic enim demum illa SENECAE, quæ priora paucis interjectis excipiunt, probamus: Habet Clementia in persona quoque innocentium locum: quia interim fortuna pro culpa est: nec innocentiae tantum Clementia succurrit, sed sæpe virtuti: quoniam quidem conditione temporum incidunt quædam, quæ possint laudata puniri.

X. Circa vindictam & pœnam tam Severitatem,
quam

quam Clementiam versari, paullo ante dictum :
quapropter, cum circa hæc occupetur virtus, in
genere licitorum esse necesse est. DEUS equidem
ad se solum pertinere vindictam in sacris literis ad-
firmat. Sed quemadmodum jus imperandi, sic &
innoxiam eidem ulciscendi potestatem cum suis Vi-
cariis liberalissime communicavit. Et ab hoc fon-
te CHRISTUS Pilati derivat *potestatem puniendi*
& absolvendi. JOH. 19, 11. & PAULUS civilem po-
testatem, in defensione bonorum & punitione ma-
lorum consistentem: *quæ, ut ministra DEI, non te-
mere gestet gladium ultorem, sed ad iram ei, qui,
quod malum est, fecerit.* ROM. 13, 3. 4. Manet igitur
vindicta DEI, tametsi per ipsius ministros ex-
erceatur. Quod si à potentioribus tulerimus in-
juriam, nec ejus reparationem in judicio huma-
no possimus consequi, vindictam DEO commit-
tamus. Nam ex SENECAE scito:

Sequitur superbos ultor à tergo DEUS.

Ad quos adeo spectant illa Chori, in *Thyeste*, act. 3.

Vos, quibus rector maris atq; terræ

Jus dedit magnum necis atque vitæ,

Ponite inflatos, tumidosq; vultus:

Quicquid à vobis minor extimescit,

Major hoc vobis dominus minatur.

Omne sub regno graviore regnum est.

Pœnæ huc spectant, quatenus vel cum rigore quo-
dam

dam sunt exigenda, vel aut ex parte, aut penitus remittenda. Et quidem hic non consideratur poenæ vel mitigatio, vel remissio, quæ fit ex æqua legis interpretatione, & ad factum applicatione, sed quæ fit ex potestate Majestatis civilis legislativa. Quæ bene distinguit B. ZIEGLERUS, de jur. majest. l. 1. c. 8. §. 5. & 6. Ubi circumstantiæ concurrentes poenam delicti ordinariam respuunt, justum erit, mitiorem aliquam, sed delicto tamen proportionatam, decernere. Sed hæc omnia fiunt non ex dispensatione, & potestate Principis legislativa, sed per interpretationem, & legis ad factum applicationem, quæ ad jus aggratiandi proprie non pertinent, sed Principi cum quovis iudice, & jurisconsultis communia sunt. Amplior vero & sublimior adhuc ei competit potestas, secundum quam non interpretem amplius, sed omnino Principem agit, h. e. Legislatorem, majestate sua utentem. In hoc enim maxime consistit tantopere laudata inter Politicos Principis clementia, ut, quem ignoscendo servare possit, illi gratiam suam impertiat, & tam exosa habeat crebra supplicia, quam Medicus multa funera.

XI. Cæterum non minus decoram Rerumpublicarum gubernatoribus ac utilem, imo necessariam esse Clementiam, quam Severitatem, multis, nec exigui ponderis argumentis, effici potest. Nul-
lam

iam ex omnibus virtutibus magis homini conveni-
 re, cum sit nulla humanior: ex omnibus tamen nul-
 lum magis, quam Regem ac Principem decere, me-
 rito cum SENECA, 1. de Clement. 3. asserimus. Qui
 cum DEum, ceu legati ejus & vicarii, in terris refe-
 rant, imitari etiam ejusdem bonitatem & clemen-
 tiam debent. Qui cum placabilis sit & æqvus,
 delicta potentium non statim fulminibus perse-
 quens; quanto æqvius est, hominem hominibus
 præpositum miti animo exercere imperium, & co-
 gitare, utrum mundi status gratior oculis pulchri-
 orque sit sereno & puro die, an cum fragoribus cre-
 bris omnia quatiantur, & ignes hinc atque illinc
 micant? At qui non alia facies est quieti, moderatig.
 imperii, quam sereni cœli & nitentis. Crudele re-
 gnum turbidum est, tenebrisq.
 obscurum, inter tre-
 mentes, & ad repentinum sonitum expavescentes.
 SENECA, l. c. c. 6. & 7. Et hæc maximopere fa-
 cit ad firmitatem imperii, cum subditorum
 conciliet amorem, qui Reges ac Principes ubiqve
 tutos præstat, qui, ubi consenuerint, liberis ac ne-
 potibus tradere regna possunt, cum tyrannorum
 contra brevis & execrabilis potestas sit. Hoc sci-
 licet est illud amatorium sine medicamento, sine
 herba, sine ullius veneficæ carmine: Si vis amari,
 ama. Hæc arx inaccessibleis, hoc inexpugnabile mu-
 nimentum est, munimento non egere. Frustra se
 C terrore

terrore succinxerit, qui septus caritate non fuerit.
armis enim arma irritantur. PLINIUS, Pane-
gyr. cap. 49.

Non sic excubiae, nec circumstantia tela,
Quam tutatur amor. CLAUDIANUS,
de Honor. Consul. cap. 4. Audiamus iterum RO-
MANUM SAPIENTEM, loc. cit. cap. 3. & 19. Il-
lius demum magnitudo stabilis, fundataq; est, quem
omnes tam supra se esse, quam pro se, sciunt; cu-
jus curam excubare pro salute singulorum atque
universorum quotidie experiuntur; quo proceden-
te non, tanquam malum aliquod, aut noxium ani-
mal è cubili profilierit, diffugiunt, sed tanquam
ad clarum ac beneficum sidus certatim advolant,
obicere se pro illo mucronibus insidiantium para-
tissimi, & substernere corpora sua, si per stragem
illi humanam iter ad salutem struendum sit. So-
mnum ejus nocturnis excubiis muniunt; latera
objecti, circumfusiq; defendunt; incurrentibus pe-
riculis se opponunt. Talem rectorem non alio a-
nimo intuentur subditi, quam si DEUS immortalis
potestatem visendi sui faciat. Intueremur vene-
rantes colentesq;. Quid autem? non proximum
illi locum tenet is, qui se ex DEI natura gerit, be-
neficus, ac largus, & in melius potens? Hæc affe-
ctare, hæc imitari decet: maximum ita haberi, ut
optimus simul habeatur. Decet itaque magnos
ani-

animos Clementia, & non nisi in eos cadit. Barbari & viles homines, ubi licentia adest, plerumque sævi sunt: ingenui contra sanguinis & stirpis mites in ea, & moderati. Nec pulchrius in fastigio collocatis, quam multarum rerum veniam dare, nullius petere. Hinc non abs re CICERO, *I. de Offic.* post Hannibalem crudelem vocatum, præclaram illam Pyrrhi sententiam, quæ humanitatis æque & magnanimitatis plena de captivis reddendis fuit, *tum regalem, tum genere Æacidarum autumat dignam.* Ut enim in eos sævire, quos deviceris, animi imbecillis ac ferini est: ita clementia in illos uti, heroici est, ac pene divini. Non minus vero etiam utilitate se probat sua Clementia; quippe quæ vel sola omnium gratiam & amorem cultori suo conciliare potis est. Nam ut crudelitas homines exosos, execrandosque facit: sic clementia amabiles reddit ac venerandos; quoniam ut res ferina est, sæviendo creare perniciem; sic res est divina, ignoscendo donare salutem. Non modo sane gloriosum est, quos perdere possis, servare, sed utile quoque & summe jucundum, benevolentiam experiri; ac non illorum quidem modo, qui beneficium acceperint, sed cæterorum etiam, qui exinde suspexerint indolem bonitatis plenam. Mirum certe dictu, quanto etiamnum amore illos prosequamur, quos legimus fuisse priscis seculis testa-

tos indulgentiam; quanto horrore aversemur, detestemurque eos, quos testatos immanitatem. Ut intelligi proinde liceat, quid sit ad famam discriminis inter illos Principes, qui *servatores civium & patriæ patres* audire student; & illos, quorum in ore est dictus Senecæ execrabilis versus: *Oderint, dum metuant.* GASSENDUS, 2. *Ethic. cap. 4. p. 780.*

XII. Apparet, opinor, ex iis, quæ hucusque disseruimus, & Severitatis & Clementiæ tantam in Republ. esse necessitatem, tantam utilitatem, ut absque iis florere diu & perdurare haudquaquam valeat: cum tamen neque locus semper Severitati, neque item Clementiæ possit esse, exputandum porro est, *quo temperamento utramque usurpare debeant in excelsa fortuna locati?* Enimvero ut arcus nimium tensus rumpitur: sic Severitas amittit assiduitate auctoritatem, & experientia testatur, ea sæpe committi, quæ sæpe vindicantur. Neque tamen & vulgo ignoscere decet. *Nam ubi discrimen inter malos bonosque sublatum est, confusio sequitur, & vitiorum eruptio.* SENECA, l. c. cap. 2. Scilicet adhibenda utrinque moderatio est; cum nec promiscuam habere ac vulgarem Clementiam oporteat, nec absillam. *Nam tam omnibus ignoscere crudelitas est, quam nulli. Modum tenere debemus; sed quia difficile est temperamentum,*
quic-

quicquid æquo plus futurum est, in partem humaniorem præponderet. Idem ibid. Reprehensus utique Constantinus M. laudatissimus alioquin imperator, nimiae lenitatis nomine. Sic enim de eo EUSEBIUS, 4. de vit. Constantini, c. 31. Cum nullus esset extremi supplicii metus, qui malos homines à sceleribus deterreret, Imperatore prorsus in Clementiam propenso, & ex provinciarum rectoribus nemine crimina coercente, eo factum est, ut publica administratio non mediocrem reprehensionem subierit. Ob nimiam Severitatem vice versa JULIANUS, in Caesaribus, incesit Probum: An ignorabas, Probe, Medicos amara pharmaca aegris cum aqua mulsâ præbere? Tu vero immitis semper & aspereras, nunquam ut ulli cederes. Itaque iniqua tu quidem, sed factis tamen tuis haud dissimilanea, perpessus es. Non enim equis, non bobus, non mulis, nedum hominibus feliciter imperes, nisi in aliquibus ipsis aliquantulum gratificeris, & indulgeas. Quemadmodum interdum aegrotantibus Medici quaedam concedunt leviuscula, uti majore in re obtemperare, sibi ne recusent. Medium igitur, ut aliis in rebus, sic & ratione Severitatis & Clementiæ erit optimum. Quod eleganti similitudine commendat PLUTARCHUS, in vit. Phocion. Quemadmodum solem Mathematici perhibent nequæ eodem, quo cælum, motu ferri, nequæ prorsus tamen contrario, sed obliquo

Et reflexo cursu leviter incurvis circuitionibus converti, quibus temperat omnia quam rectissime, Et conservat: ita in Republica etiam administranda, rectus nimis, Et ubiq; subditorum sententiae repugnans tenor durus est Et inhumanus, rursusq; ad perniciem proclive est, obsequiper omnia. Quæ vero Et morem gerit aliquando parentibus, Et gratificatur aliquid, gratiamq; rursus commodi publici causa reposcere novit gubernatio hominum, multis rebus placide atq; utiliter, si non pro imperio omnia exequi cogantur, subservientium: ea demum salutaris est, majestatem habens cum mansuetudine conjunctam. Quæ duo si inter se commisceantur, nulla profecto modorum, aut sonorum concinnior dici potest, suaviorq; harmonia: quomodo etiam DEUS temperare mundum dicitur, non cogendo, sed necessitatem obtemperandi persuadendo deliniens.

XIII. Severitatis itaq; & Clementiæ hæc habenda est ratio, ut, dum ad puniendum ventū est, ingenia sanabilia distinguantur à desperatis, liberalia à servilibus. Ut enim illa, quæ generosiora sunt, mollius tractari volunt, sic, quæ magis sunt servilia, non nisi asperitate quadam reprehensionis, & severitate ad officium adducuntur: atq; adeo in istis Clementiæ, in his Severitati locus est. Medicum hac in parte imitari decet, cujus officium est, ac voluntas semper præsumitur, quocunq; remedio sanare ægrum,
nec

nec semper ea adhibere medicamenta, quæ per se ipsa sunt omnium optima, sed quæ cujusque ingenio ac naturæ sunt accommodatissima. Quæ propter ubi mitioribus se nihil proficere intelligit, ad duriora vertitur, urit, secat, ac immedicabile vulnus ense recidendum dat, ne pars sincera trahatur.

XIV. Non minus distingvere par est *delicta*, ita ut *parvis delictis Clementia, magnis Severitas accommodetur*, ad C. Jul. Agricolaë exemplum, apud TACITUM, in *vit. ejus*, c. 19. Non quasi parva peccata penitus semper sint dissimulanda, quod si fieret, probari viderentur, & veluti quævis pro libidine agendi licentia dari, sed quod ad illa retundenda castigatio sufficiat, cum his poena debeat. Modus enim utique in delictis est attendendus, & quo gravius peccatum est, eo major etiam poena delinquenti infligenda, cum secus qui faceret, non modo omnem justitiæ everteret rationem, sed & in bonum publicum peccaret, dum non satis restringeret peccandi pruritum, illaque lenitate ansam daret delinquenti, denuo peccandi, & iterum fieri nocentem. Qui hoc invertunt, & in levia delicta gravissime animadvertunt, gravia vero negligunt plane, aut levi castigatione dimittunt, & DEUM offendunt, & REIPUBLICÆ male consulunt. Talem Valentinianum Aug. describit AMMIANUS MARCELL. l. 30. *Severum videlicet in gregariis corri-*

corrigendis, remissioſiorem erga majores fortunas vel
verbis aſperioribus inceſſendas. Et eod. libr. Cum
gregariorum etiam levia puniret errata, potiorum
ducum flagitia progredi ſiuit in majus, ad querelas
in eos motas aliquoties obſurdeſcens: unde Britan-
nici ſtrepitus, & Africanae clades, & vaſtitas emer-
ſit Illyrici. At vero, CICERONE judice, Orat. pro
Sextio, non eſt medicina, cum ſanae parti corporis
ſcalpellum adhibetur atq; integrae, ſed carnificina
potius atq; crudelitus. Scilicet juſtam in graviori-
bus delictis Severitatem probamus, quam mali me-
tuant, boni probent, quæque etiam expers odii eſſe
potest; quod recte faciendo adſecutus eſt M. Bru-
tus, qui cum nihil ad gratiam faceret, omnia tamen
grata videbantur, quæ faciebat. AMMIAN. MAR-
CELL. ex Tullio, l. 27. & Prætextatus, urbi Romæ
ſub Valentiniano Præfectus. Quem idem Aucto:
adeptum dicit, quod raro contingit, ut, cum time-
retur, amorem non perderet civium.

XV. Ab eſſe igitur à puniente debet omnis vi-
tioſus affectus, qui rationem obcæcat, & velut ca-
ptivam ducit. Abſit ira, acerbitas & contumelia,
ita ut etiam graviora pœnarum genera infra deli-
cti meritum ſubſiſtant, nec inſultetur ei, qui pœ-
nam ſuſtinet, quod ab humanitate plane alienum.
Eſt utique, ſecundum PHILONEM, in Flacc. & in
pœna parvum quoddam ſolacium, & in cruciature
miſſi-

missionis nonnihil, quando res ita, ut sunt, sinuntur, nec augetur malitiose molestia: sed cum accedit odium, nihil æquitatis relinquitur. Talis Domitianus, occurſu quoque viſuq; terribilis. Superbia in fronte, ira in oculis, fœmineus pallor in corpore, in ore impudentia multo robore ſuffuſa. PLINIUS, Panegyri. cap. 48. Cui Neronem ea in re præfert TACITUS, in vit. Agric. c. 45. Nero ſubtraxit oculos, juſſitq; ſcelera, non ſpectavit: præcipua ſub Domitiano miſeriarum pars erat, videre & adſpici: cum ſuſpiria noſtra ſubſcriberentur: cum denotandis tot hominum palloribus ſufficeret ſævus ille vultus & rubor, à quo ſe contra pudorem muniebat. Ad quæ bene obſervat BUCHNERUS: Innocentium pœnis intereſſe uti tyrannicum eſt, ita nocentium quoque ſuppliciiſ bonum abſtinere Principem ſatius eſt, ne frui pœnis, & delectari ſanguine, ac ſclerum ultionem non tam vindictæ legum, quam animi ſui libidini videatur dediſſe. Unde ſub Auguſto obſervatum, ne ſupplicium de quoquam ſumeretur, quoties is urbem introiret. SVETONIUS, in Auguſt. cap. 57. Nimirum ſævus vulgo audit, quisquis punit, etſi merito puniat, & juſtæ etiam pœnæ crudelitatis conciliant famam. THUCYDIDES. Quod ſecum perpensens Veſpaſianus, abſtinuit prorsus à ſpectandis reorum pœnis, neq; cæde cujusquam unquam lætatus eſt: juſtis ſuppliciiſ illæcrimavit etiam & ingemuit. SVETONIUS, in vit. ejus, c. 15.

D

Vide-

Videantur, quæ hanc in rem comportavit J. GRUTERUS, *Discurs. Polit. in Tacit. c. 41. §. 2. seqq. & c. 42.*

XVI. Præcipue vero vitanda punienti *nimia festinatio* est, quæ ut plurimum ultioni & consilio inimica, pœnitentiæ locum facit, dum vice versa juxta illud JUVENALIS:

Nulla unquam de morte hominis cunctatio longa est. Parentibus assimilantur Principes boni: boni vero parentes objurgare liberos nonnunquam blande, nonnunquam minaciter solent; aliquando admovere etiam verberibus: nisi magnæ & multæ injuriæ patientiam evicerint, nisi plus est, quod timent, quam quod damnant, ad ultima non accedunt. *Magna oportet esse vitia, inquit CICERO, Or. pro Roscio, atq; peccata filii, quibus incensus parens, potuerit animum inducere, ut naturam ipsam vinceret, ut amorem illum penitus insitum ejiceret ex animo, ut deniq; se patrem esse oblivisceretur.* Perinde nec ad supplicia exigenda perveniant Principes, nisi ante consumserint remedia. Hoc, quod Parenti, etiam Principi, quem appellamus *Patrem Patriæ*, faciendum esse, recte inculcat SENECA, *l. c. c. 14. Patrem Patriæ appellamus, pergit, ut sciret, datam sibi potestatem patriam, quæ est temperatissima, liberis consulens, suaq; ve post illos ponens. Tarde sibi pater membra sua abscindat; etiam, cum absciderit, reponere cupiat: & in abscindendo gemat, cunctatus multum diuq;.* Prope enim
enim

enim est, ut libenter damnet, qui cito: prope ut inique
 puniat, qui nimis. Conferatur Idem c. 16. ubi & hanc
 cedro dignam exhibet sententiam: Nemo regi tam
 vilis sit, ut illum perire non sentiat: qualiscunq; pars
 imperii est. Maxime vero vitanda precipitantia
 circa supplicia capitalia. Enimvero alia sententia po-
 test corrigi; de vita transactum non patitur immutari.
 CASSIOD. 7. var. 1. Qua de re Theodosius Imp. tri-
 ginta dies à die late sententiæ constituit, intra quos sen-
 tentia capitatis executioni non mandaretur. l. 20. C.
 de pœn. egregiamque laudem meritus est Mauritius
 Imp. tardissimus ad irrogandam pœnam: quod deli-
 cta pœnitentia, quam supplicio sanari melius putaret.
 TH. SIMOCATT. 1. histor.

XVII. Danda præterea opera est, ut, ubi multi pec-
 caverunt, metus ad omnes, pœna ad paucos perve-
 niat, præsertim, si gravior illa ac difficilior fuerit. Nam
 supplicium in paucos satis est validum ad terrorem
 cæteris injiciendum: multorum vero pœna non medi-
 cina, sed clades est, ut Germanicus loquitur apud TA-
 CITUM, 1. Annal. 49. Hinc prudenter admodum
 monet BOXHORNIUS, 1. Instit. Polit. 9. Ubi à mul-
 titudine peccatum est, & deprehendi possunt auctores,
 parcendum multitudini, non auctores: quippe, ne
 pœna sit latrocinium, optime, plures ubi peccavere, in
 uno, aut paucis auctores puniuntur, dum & iidem
 suum esse delictum intelligunt, propter quod unus, aut

pauci puniuntur, & ideo unius, aut paucorum supplicio corriguntur, licet poenae exempti, tamen poenitentiae servati. Scilicet, poena debet esse medicina: quemadmodum vero Medicum non decent multa funera: sic nec Principem multa supplicia. Poenae debent esse exempla, quibus edocti alii à maleficiis deterreantur: quem finem amittunt, si in omnes noxios constituentur. Contra, ut fulmina paucorum periculo cadunt, omnium metu; sic animadversiones magnarum potestatum terrent latius, quam nocent. Non sine causa. Non enim, quantum fecerit, sed quantum factururus sit, cogitatur in eo, qui omnia potest. SENECA, l. c. c. 8. Qui paullo post: Frequens vindicta, pergit, paucorum odium reprimit, omnium irritat. Quemadmodum praecise arbores plurimis ramis repullulant, & multa satorum genera, ut densiora surgant, reciduntur: ita regia crudelitas auget inimicorum numerum, tollendo. Recte se tali in negotio DEI ipsius exemplo se tuentur punientes: qui cum totus populus Hebraeorum deliquisset, idololatriam committendo per cultum vituli aurei, partem percussit sententiae suae gladio, ut partem corrigeret exemplo, praerberetque omnibus simul & coercendo censuram, & indulgendo pietatem. SALVIANUS, 1. de Gubern. DEI. p. 20. Probatur hoc S. CYPRIANO, Serm. 5. de lapsis: Plectuntur quidam, quo caeteri corrigantur. Exempla sunt omnium, tormenta paucorum. Et CHRYSOSTOMO, 1. de provid. DEI.

DEI.

DEI. DEUS idcirco non omnes, qui eisdem suppliciis sunt digni, una punire consuevit, ut reliqui eorum casibus admoniti meliores fiant. In auctores igitur scelerum maxime dirigenda severitas, reliquis, qui priorum impulsu aut exemplo peccarunt, mitius punitis. Sic apud LIVIUM, 28, 26. exorto castrensi tumultu, certantibusque sententiis, utrum in auctores tantum seditio- nis animadverteretur, an plurium supplicio vindican- da tam foedi exempli defectio magis, quam seditio es- set? vicit sententia lenior, ut, unde orta culpa esset, ibi poena consisteret: ad multitudinem castigationem satis esse.

XVIII. Cum igitur ex SENECAE monito, l. c. c. 12. temperatus timor cobibeat animos, assiduus vero & acer, & extrema admoventis, in audaciam jacentes exci- tet, & omnia experiri suadeat, opera danda ulciscen- tibus est, ne facile eousque progrediantur, ut, qui pu- nitur, corrigi amplius, aut necessariis superesse labori- bus nequeat: & in universum magis ἡ δεισιμα, seu ca- stigatione, quam ἡ ἀδειψμα, seu exemplo utantur. Ubi tamen publica imperat necessitas, ut acrius in no- xios animadvertatur, ostendat puniens, quam invi- tus tam aspero utatur remedio, & verbis faciat fidem, justam esse, quam expetit, vindictam. Nec enim ira- scimur, cum quid juste pati nos credimus, sed, cum in- juste, aut gravius, quam conveniebat. ARISTOTE- LES, 2. Rhetor. 3. Tale crimen est, quod Majestatis vo- camus,

camus, itēmqve proditionis ac perduellionis; quippe
quæ salutem totius Reipubl. in discrimen vocant, atq;
ideo horum rei non clementiam, sed asperiora meren-
tur supplicia. Sic cum Licestrius urbes Belgarum vi
opprimere pararet, ante periculum Lugduni detecta
conjuratio incolarum est, qui pravæ in alienam rem-
publicam curiositatis pœnas capite luerunt: & *quan-*
quam errore nonnulli, quam malitia peccaverant, sa-
lutaris ea sevitia sint, ac cœptantes tunc maxime mo-
tus compescuit. H. GROTIUS, 5. *Annal. de reb. Belg.*
p. 104. Confer. FORSTNERI *Not. Pol. ad Tac. 3. Annal.*
p. 406. seqq. Parum utiqve abfuit, quin intempestiva
lenitas Justiniano Imp. Arface Armenio ob tentatæ
proditionis scelus ignominia causa per urbem super
Camelo circumducto, sed dimisso iterum, inita studio
vindictæ conspiratio, fasces imperii eriperet. PRO-
COPILIUS, 3. *de bell. Goth.* Plurimum quoque nocuit
Henrico, Lusitania regi, *quod vel summa clementia,*
vel summa severitate uti nesciverit. HIER. CONE-
STAG, 3. *de Conj. Port. cum Cast.* Nec periculi immu-
nis fuit FRIDERICUS III. Daniae, Norvagiæq; rex glo-
riofissimus, ob Cornificium Uhlefeldium, & ejus ux-
orem, lenius habitos, quam ipsorum crimina ferrent.
Si tamen in ejusmodi delinquentibus vel dignitatis,
vel meritorum omnino habenda est ratio, cruciatus,
aut infamia minuenda, pœna capitalis ne utiqvam re-
mittenda. Sic *Essexium in Anglia, in Gallia Bironium,*
Cal-

Caldronium in Hispania, & alibi alios majori, & infami magis, quod meruisse credebantur, supplicio eripuit dignitas, sed non morti. ZEVECOTIUS, ad 4. Flori. c. 1.

XIX. Sæpe increscens hominum malitia ad duriora vocat imperantes. Illa enim manifestum facit, sensum pœnæ legibus statutæ non sufficere ad restringendum peccandi pruritum. Nec sine causa verisimile censet Diodotus, oratione pro Mitylenæis, apud THUCYDIDEM. 3. de B. P. maximis olim sceleribus lenissimas pœnas fuisse. Progressu vero temporis, cum illæ spernerentur, & malitia hominum indies ingravesceret, ad mortem ventum esse. Quapropter cum acerbitas ulciscendi maleficii bene atque caute vivendi disciplina sit, ex usu publico erit, crescentibus delictis pœnas exasperare. Et hæc sine dubio causa est, quod furti pœna ad vitam extensa fuit, cum pecuniaria, aut corporis afflictiva, non satis coercuerit hominum aliena rapiendi pessimam cupiditatem. Recte Celeb. BECMANNUS, *Dissert. de Pœnis, c. 1. §. 5. Pœna, si contemnantur, eas non cupimus quidem, sed tamen nec odimus, id quod vel quia molestiam earum ignoramus, vel quia ob aliud bonum præponderans ad sensum earum occalluimus. Ex eodem sequitur, cur crescentibus delictis etiam pœna crescere debeant: quia crescentia delicta indicio sunt, sensum ordinariæ pœnæ nullum esse. Ut itaque ejus aliquis sit, & pœna re ipsa malum molestum fiat, eam crescere oportebit. Prudenter quoque*
BOX-

BOXHORNIIUS monet, i. *Instit. Polit. c. 9.* graviores
pœnas per leges indicandas esse, quam, postquam pec-
catum est, exigantur: quod ita accuratius leges obser-
ventur, quanto major ex iis terror sit injectus. Addo,
quod puniens, eandem deinceps mitigando, in ipso
etiam rigore juris misericors esse videatur. Idem quo-
que *Dissert. 9. de Rom. Imper. §. 6.* vult, ut, quo corru-
ptiores sunt civium mores, & facilius ac frequentius
peccatur, & ex peccato plus fructus redit ad peccan-
tem, nisi puniatur, eo graviores pœnas esse statuendas,
Et *Dissert. II. §. 6.* Quod scelus factum est facillimum, &
alia ratione averti non potest, difficillimum reddi de-
bet exquisita pœnae severitate. Quæ cuncta veluti
egregie consulunt publicæ utilitati, sic usum & neces-
situdinem Severitatis simul demonstrant.

XX. Quemadmodum igitur in exercenda Severi-
tate communis egregii atque securitatis ratio sedulo
habenda est, sic cum ingenia populorum variant, alii-
que aliis sint tractabiliore, aut asperiores, Severitatis
quoque & Clementiæ ratio iisdem est attemperanda.
Enimvero regum ducumque Severitas & Clementia non
in ipsorum modo, sed etiam illorum, qui parent, inge-
niis sita est. Obsequio mitigantur imperia. Ubi vero
reverentia excessit animis & summa iuris confundi-
mus, vi opus est, ut vim repellamus. CURTIUS, 8, 8.
Qui locus expressus forte ex illo ISOCRATIS ad Ni-
coclem: Non solum ingenia regum in causa sunt, ut dif-
ficiles,

ficiles, vel mansueti sint crediti, sed etiam mo-
res ac ingenia civium. Multi enim jam, ob impro-
bitatem civium, asperius imperare, quam vellent,
sunt coacti. Ac in univertum, cui mansuetudo in-
est, si in mite ingenium incidat, mansuetiorem et-
iam se præstat: sin vero cum inhumano congre-
diatur, implacabili effervescent iracundia. Natura
enim ita comparatum est, ut, in quo ad bene meren-
dum vigeat alacritas, ei ad ulciscendum acerbitas
non desit. ACHILLES TATIUS, de amor. Cli-
toph. & Leucip. l. 6. p. 389. Quæ ratio est, quod in
diversis Rebus publicis unius ejusdemque crimi-
nis diversæ sint pœnæ, & quæ in una Republica
capitales sunt, in altera imponantur mitiores. Est
hæc inter artes Principum, ut non modo recte im-
perare possint ac sciant, verum etiam pro re nata
vel humanius, vel addictius. Quam adeo magni
æstimat LIVIUS, 2, 43. ut excellentibus ingeniis ci-
tius de futuram asserat artem, quæ civem regant,
quam quæ hostem superent. Quam artem in Bel-
gis regendis sibi quidem non deesse rebatur Phi-
lippus II. Hisp. rex, Cæsari Maximiliano, petenti,
ne in Belgas durius consuleret, referri jubens: nota
sibi, ut clementiæ, sic severitatis tempora. H. GRO-
TIUS, 2. Annal. de rebus Belg. p. 31. Sed quam fal-
sus fuerit animi, eventus docuit: nec immerito
censent rerum periti, Alexandri Farnesii pruden-
E tia,

E

tia,

tia, & moderatione, & consiliis à priorum Gubernatorum ratione diversis reliquias Belgii regi servatas, quemadmodum ex diverso asperitati Albani Ducis reliquiarum provinciarum jacturam adscribunt. FORSTNERUS, *Not. Pol. ad Tac. 6. Annal. p. 703. seq.*

XXI. Cæterum uti boni Principis est, *Severitatem abditam, Clementiam in procinctu habere*, monente SENECA, *1. de Clem. 1.* Sic laudandus omnino est, sicubi primis, quæ contra vitia feruntur, legibus severissimas proponit pœnas, ut iisdem territi libidinem peccandi exuant, qui ad vitia sunt proniores. Per quas quando ad meliorem vivendi disciplinam inter cives profectum fuerit, aut quando libido hominum & contumacia vincit suppliciorum severitatem, lapsu temporis sunt mitigandæ. Bene BOXHORNIIUS, *Dissert. II. de Rom. Imper. §. 4.* *Gravior esse pœna debet, ubi in scelus plurimum est & ferventior inclinatio: & minor, ubi vel ad peccandum procliviores sunt pauciores, aut magnitudine suppliciorum à peccando hætenus homines deterriti haud sunt, ne ex pœna fiat carnificina.* Scilicet non durioribus remediis sananda est patria, quam pericula sunt, & præstat sæpe omittere potius prævalida & adulta vitia, quam hoc adseqvi, ut palam fiat, quibus flagitiis impares simus. TACITUS, *3. Annal. 53.*
Ut

Ut morbos sæpius augent, quam tollunt, intempestiva remedia: sic vindicta minus tempestive adhibita paucorum odium reprimit, omnium irritat. Quod Felici, Palæstinæ Præsidi, usu venisse modo citatus TACITUS memorat, 12. *Annal.* 54, qui intempestivis remediis delicta accendebat. Medicos igitur imitetur Princeps, qui *plus interdum quiete, quam movendo atq; agendo proficiunt*: quod ex Hippocrate adducit Fabius, apud LIVIUM, 22, 18. Vid. SCIPIO AMMIRAT. 3. *Discurs.* Polit. 2.

XXII. Bene præcipiunt, qui Clementiam quidem apprime decere Imperantes adfirmant, illam vero non volunt esse *cœcam*, sed *circumspectam*. Nimis magna enim injuria justitia adficitur, ubi discrimen inter bonos malosque sublatum est, Princepsque condemnando alterum, alterum sine causa absolvendo *προσωποληψίας* notam effugere non potest. Hinc non dubitant quidam adstruere, tutius esse, & Reipubl. utilius Principem habere severum, quam nimis lenem, & ad delicta conniventem. BODINUS utique 2. *de Republ.* 4. qui Principis bonitatem, lenitatem, facilitatem, largitionem, prudentia vacuum laudant, ipsos inopes à consilio, civili scientia vacuos, laudibus & otio abuti dicit, *cum ejusmodi facilitas multo magis metuenda sit, quam Principis summa seu severitas, seu crudelitas, seu avaritia*: idque rationibus ex exem-

E 2 plis

plis confirmat. Freqventer autem in eiusmodi errorem inducuntur Principes benigniores, per ambiciosos & avaros ministros, qui hoc velo iniqua aliorum studia tegunt. *Qui veluti viles plerumq; sunt, & nullo merito suo, sed sola Principis nituntur gratia, ita in omnes prædæ & lucri occasiones intenti, fures, homicidas, peculatores, & quorumcunq; tandem facinorum reos, non à supplicio tantum, sed etiam ab infamia, aut male partorum restitutione excusant.* ZEVECOTIUS, *ad Flori 3, 22.* Licet igitur difficile admodum sit, Principi præcepta dare, quando & quibus in casibus jus dandæ veniæ exercere debeat, in genere tamen cum B. ZIEGLERO, *l. 1. de jur. majest. c. 8. §. 8.* statuimus, *illud nequaquam excedere posse potestatem νομοθετικήν.* Quousque ergo leges ferendi potestas se extendit, eousque etiam ad gratiandi jus pertinere potest, positis scilicet terminis habilibus, & causis clementiam svadentibus. Sed de his ut specialius agamus, instituti non fert ratio: & præstitum id jam olim à nobis est in *Dissertatione de jure aggratiandi.*

XXIII. Coronidis loco addimus, *novo præcipue Principi utilem esse Clementiæ famam.* Nam in novo imperio jugum plerumque rigida cervice subeunt subditi, cum primis melioris regimini ad veteri: quos adeo benignitate potius gubernare decet,

decet,

debet, quam pœnis coercere & cogere. Adsveti enim subditi priorum Principum moribus, quicquid alienum est, suspectum habent. Inde licet Tiberio alia esset morum via, quam fuerat Augusto, *populum tamen, per tot annos molliter habitum, nondum audebat ad duriora vertere.* TACITUS, 1. *Annal. 54.* Hannibal quoque in Italia, nihil prius, quam benignitatem ostendit, *ut fama clementiæ in principio rerum colligeretur.* LIVIUS, 21. *Mithridates contra atrocior, quam novo regno conveniret, proditus à genero, & paullo post occisus est, eiq; vulgus duro imperio habitum probræ & verbera intabat.* TACITUS, 12. *Annal. 47.* Et cui ignotum est, Roboamum, quod erga subditos benignus esse negligeret, spretoque Seniorum consilio asperum se gereret adversus populi preces, regnum suum ex amplissimo effecisse minimum, alioquin clementiæ artibus amplitudinem ejus facile retenturus. 3. *REG. 12.* Concludimus itaque sapientissimo FORSTNERI effato, *ad TACITI 6. Annal. p. 698.* *Satius est, rei summam, cedendo aliquid de jure suo, remittendo, non omnia intempestiva austeritate denegando, servare, quam eandem pertinaci & inconsulta superbia pessundare, omnem secum dignitatis existimationem in casum, ruinamque tracturam.*

S. D. G.

E 3

Sic

Sic animus sequitur naturæ semina sponte;
Sic culto ingenio mens generosa viret:
Sic nomen celebri surgens ex stirpe Parentum
Virtutis flores suscipit eximios.
Felicem Patrem, si fructus inde sequendos
Ad votum coram lætus habere potest!
Nam quas primitias nunc mittit Filius iste,
Illæ promittunt messis opima Bona.

*Generoso Domino Respondenti, Amico
suo dilecto, ex animo gratu-
latur*

Paul Gottfr. Sperling, D.
h. t. Academiae Rector.

Cum virtutis opes præfers splendore fugaci,
Clarius illustras Teq; Tuumq; genus.
Nam Tua Nobilitas animi fulgore coruscat,
Qui Patrie tandem candidus esse potest.
Ausis intersit porro clementia cæli,
Ut factis claris sidera celsa petas.

Generosissimo Juveni Lubens
meritoque dab.

G. Michael Heber, D.

Ad

Ad

Generosum, Nobilissimumq̄

DN. RESPONDENTEM,

Fautorem & Conviectorem pluri-
mum honorandum,

Gratulatio PRÆSIDIS.

Nobilis es, majoresq̄ue Tuos, & nomina
familiaē, multis stemmatum illigata flexu-
ris, longo recensere ordine de facili potes:
nec tamen illa generis prærogativa ita gaudes, ut
præ Te contempnas alios, sed in id toto incumbis a-
nimo, ut persona potius rem minuatur, quam per-
sonam res ipsa cohonestet. Illum utiq̄ue demum
pro vere generoso habes, qui ad virtutem bene
à natura compositus est. Non eq̄videm cum il-
lis facis, qui nobilitatem sanguinis, ac familiaē per
antiquam seriem continuatum decus vana homi-
num opinione niti, omniq̄ue in natura fundamen-
to destitui blaterant. Probe enim perspectum
habes, latentia quædam virtutis principia, & semi-
na à generosis parentibus liberis communicari, &
quemadmodum temperamēta, morbi, aliaq̄ue
corporis accidentia à parentibus ut plurimum de-
rivari-

rivantur in liberos, sic animorum quoque propensionem, quæ magna ex parte corporis sequuntur temperiem, in posteritatem transfundi. Sed tamen recte existimas, unumquodque nobile ingenium virtute eo conitti debere, ut à claritate generis non tam accipere ornamentum, quam dare ipsi videatur. Nam venerabilis illa majorum virtus, ex qua præter memoriam nihil in posteris superest, haud inepte cum magnificentissimis comparatur ædibus, ex quibus, præter despectum aliquod stabulum, nihil ruina, aut incendium reliquum fecit. Sic cum sis ingeniatus, ad ea studia applicuisti animum, quæ beatam vitam aut excolunt, aut conservant, & quanta animi contentione in iis sis versatus, quemque exinde ceperis fructum, publico specimine testatum facis. De quo velut Tibi impense gratulor, sic DEUM Opt. Max. veneror, ut servet Tibi hanc mentem, propitiusque concedat, ut majorum Tumorum merita vel æques, vel superes. Hoc Tibi cedet gloriæ, Parentibus & Necessariis generosissimis gaudio, Patriæ denique dulcissimæ, cujus salus Tibi suprema lex sit, emolumento.

B. V.



Coll. diss. A. 98, misc. 34